IO. MOLINAEI
BELGAE FLANDRI
IVRE CONS.
AD S. D. N. GREGORIVM
PAPAM XIII.
ORATIO.



ROMÆ, Apud Hæredes Antonij Bladij Impressores Camerales. M. D. LXXIII.

QVÆ mihi oratiuncula, ad Sanctitatis tuæ pedes, haberi permittitur, Gregogori Pont. Max. à iucundissimo illo versu, quem hoc paschæ festiuissimo tẽpore, canit ecclesia, incipiet. Quippe hæc est illa dies quã fecit dominus, exultemus & lætemur in ea: Vnde enim obsecro Patres conscripti, omni iam perfusus gaudio, ordiar hanc telã rectius? vnde auspicer commodius? ecquod dedero voci meæ proludium prooemiumque aptius? Optauit Abraham Hebræorum parens primus & author, diem videre domini, vidit, & gauisus est. Optauit eo antiquior Noa (quem pagani Ianum quasi vini repertorem appellarunt) alterum videre seculum, priore illo, per aquarum magnitudinem, diluuiumq; orbis terrarum, internecione deleto, & extincto, vidit, & gauisus est. quæ etiam causa est, cur eundem poetæ doctissimi homines bicipitem bifrontemque finxerunt. Optauit magnus ille Iob, ab ea virtute quę in rebus aduersis fortiter alacriterque perferendis elucet maxime, pristinam sanitatem, dignitatem, facultates, liberos, familiam, recipere; recepit omnia duplicia, & gauisus est. Optauit Israelitici populi Dux ac Imperator Moses, popularium ciuiumque suorum manumissionem, libertatemque, post grauissimam seruitutẽ, qua ab Ægyptijs idololatris, & Pharaone impijssimo crudelissimoq; tyranno premebantur, vidit & gauisus est. Optauit Dauid Rex victoriam contra hostes suos, triumphauit de ijs persæpe, &

gauisus

gauisus est. Optauit huius filius Salomon regni paterni hæres & successor, non quidem potentiam, nõ diuitias, non honores, non imperij amplitudinem, cuius gratia etiam illi qui sibi iusti boniq; videbãtur, ius violandum arbitrati sunt, non famę deinde inanem gloriolam, quã Plato proximam animæ vestem, & veluti interulam definiuit, quamque ne illos quidem Philosophos, qui de ea contemnenda scribebant, re ipsa contempsisse, argumento erant, authorum nomina in librorum fronte pręnotata. adeò semper pulchrum est digito monstrari, & dicier hic est, vt docet satyra. non ad extremum cætera omnia quæ vulgò summa maximeque exoptanda putãtur; Quid igitur ille? nihil sane, quàm sapientiam, quàm prudentiam, quàm ciuilis disciplinæ cognitionem, id est regendi populi ac in officio continẽdi laboriosissimam rarissimamq; artem, & veluti promptitudinem dexteritatemque quãdam, quam etiam Aristotiles eapropter non immerito reginam cęterarum scientiarum omniũ nũcupauit. Impetrauit eã igitur Salomon, à summo Deo Opt. Max. non contentione & studio, non assidua exercitatione, non multis laboribus, vigilijs & lucubrationibus, quo precio Dij hominibus, si Hesiodo creditur, omnia vendere consueuerunt, sed vnico temporis momento, vniuersæ politices rerumque omnium publicarum adeoq; hominũ quoq; exactissimã prudentiã & facultatẽ, thesaurũ plane incomparabilẽ, diuinitus accepit, & gauisus est. Optauit idem Hierosolymis dedicare templum Iehouæ, dedicauit, & gauisus est. Optauit

Ezechias prorogari ſibi lapſa exhauſtaque vitæ fugientis curricula, obtinuit annos quindecim, & gauiſus eſt. Optauit Symeon ille iuſtus, Chriſtum Saluatorem in carne ſua noſtraq; videre, Deum videlicet corporatum, incarnatum, & hominem factum, vidit. & dixit; Nunc dimittis ſeruum tuum domine, ſecundum verbum tuum in pace, quare obſecro in pace? cauſam ipſe ſubijcit, quia inquiens viderunt oculi mei ſalutare tuum. Optarunt alij Priami pulchritudinem, Herculis robur, Achillis audaciā, Vlijſſis polytropiam, Neſtoris ſenectutem, Sardanapali libidinē, Crœſi opes, Luculli prædia, villas, ſupellectilem, inſtrumentum, luxum, Cæſaris clementiā, Auguſti fœlicitatem, Traiani bonitatem, Ciceronis facundiam, Ariſtotelis methodum, acumen, argutias, Denique alii alia, ſiquidem veriſſimum eſt illud: trahit ſua quemque voluptas, & quod inſtituto noſtro apparet paulo accommodatius, velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno. Optauit ergo & Ioannes Molinæus Sanctitatis tuæ ſeruus, innumerabiliumque ſeruorum tuorum minimus, abiectiſſimus & vt Paulino in ſimili ſententia, vtar verbo, quaſi abortiuus. Sed quidnam? optauit videre Romam. At quam Romam? an eam, cuius primi maduerunt ſanguine muri? an illam, inquam, cuius pomeriū, fines, mœnia, muros, Romulus Remi germani fratris ſui cæde, deſignans ac deſcribens, Ioui, Marti, Veneri, Mercurio, aut ſi qui fuerunt Dij alij vaniores, dedicauit? An deniq; illam, quę de deuictis debellatiſq. ſæpe hoſtibus triumphans, ſedes & domicilium imperij

totius

totius orbis terrarum extitit? minime gentium, quam igitur? scilicet, optauit videre Vrbem Sanctam, Religionis arcem, pietatis antiquissimum templum, veritatis tutissimum pręsidium, orthodoxę fidei munitissimũ & nunquam expugnandum propugnaculum, Hęretico rum, schismaticorum, Apostatarum, paganorum, alio rumque religionis inimicorum, certissimam pestem, exi tium, perniciẽ, occidionem. Castra perpetuis victorijs, ac victricibus signis inclyta, aduersariorum audaciæ, væ saniæ, improbitati, impressioni, molimini, machinationi, cõcedere nescia, quin semper immota, imperterrita, & vere inuicta, quin ꝑpetuo omnibus hostilibus copijs, auxilijs, coitionibus, cõuenticulis, cõciliabulis, coniura tionibus, fraudibus, dolis, cuniculis, arietibus, velitatio nibus, prælijs, ita volente ac disertis verbis iubente Deo Opt. Max. pręualitura. Postremo, optauit videre eã Vrbem, quæ paternarũ traditionũ, & totius ecclesiasticæ disciplinæ, sacrarumq; cerimoniarũ, purissimus & nun quam exariturus est fons, amplissimum emporium, fide lissima custos, tutrix, conseruatrix: & vt Irenæus loquitur, repositorium diues, quam Petrus & Paulus aposto lorum principes, fœlicioribus omnino auspicijs, quàm ante fecerat Romulus, suo sanguine, Christo domino ac Deo nostro, cõsecrarunt. Iam vero interrogauerit quispiam. Ecquæ tanta fuit Romam tibi causa videndi? nũ theatra, stadia, circi, ludi, signa, imagines, statuæ, ther mæ, fora, compita, porticus, obelisci, piramides, mausolea, aquęductus, moles, ædes marmoreæ, cedrinæ, la-

queata tecta, horti, arcus, trophea, manubiæ? Nihil horum, quid igitur? Volui videre Gregorium, orbis non vrbis Episcopum, Christi Saluatoris vicarium pastorē. Petri, cui Christus hominibus valedicturus, & in cœlos vnde venerat rediturus, suas oues pascendas commiserat, iustum in Pontificatu successorem, Ecclesię vniuersę caput, verticem, & coriphęum, vere denique œcumenicum, qua late patet Christianus orbis, Patriarcham, cuius apud me maiestas tanta est, vt quoties te video, video autem sæpissime, videre mihi videor quasi mortalem quendam Deum, & sane, nescio quid homine maius ac præstantius. Vnde quanto perfundar gaudio, nō facile dixerim, non mihi si linguæ sint centum, oraque centum, ferrea vox. Adauget porro hanc voluptatem lætitiamque animi mei, quam ex conspectu serenissimi, prope mihi exciderat, diuini vultus tui, haurio, etsi per sese summa sit, nihil vt accedere posse videatur, non minimum, quod quæ superiori anno, hoc fermè temporis momento & articulo, de tuæ Sanctitatis singulari prudentia, vigilantia, cura, peritia, experientia, alijsq. virtutibus, creationis vestræ initio, apud nos in Belgio ac inferiori germania, ore omnium ac fama spargebantur, quod inquam ea omnia, huc velut in rem præsentem veniens, comperi reipsa non dicam verissima, sed maiora longe, & ampliora, quàm communi sermone multorum tum ferebantur. Vt enim omittam cæteras rarissimas prçclarissimasque laudes dotesque tuas, tum animi, tum corporis, quas partim natura ad te exornan-

dum

dum laborans,infudit & inſeuit, partim diuturna indu-
ſtria tua, aſſiduoque labore,tute tibi comparaſti, de qui
bus ſicut de Carthagine alium, præſtat me tacere,quàm
pauca dicere. Certe vnum illud ſilentio præterire, nec
poſſum, nec debeo, quod cum omnibus notiſſimũ ſit,
ab omni aſſentationis ſuſpicione procul remotum eſſe
debebit,nimirum,te pater ſancte,nõ ſaltim aut curſim,
non præmaturę aut præpoſtere, nõ ambitu aut fauore,
non emendicatis aut turpiter conquiſitis conrogatisq;
ſuffragijs, quodque magis abominandum foret, malis
artibus, munerumue corruptelis, ad hoc rerum huma-
narum faſtigium conſcendiſſe: ſed poſtquam omnibus
aulæ Romanæ muneribus, officijs, prouincijs, etiam le
gationibus de rebus maximis ac grauiſſimis, quæ om-
nia recenſere lõgum eſſet, cum tua ſumma laude ac glo
ria eleganter perfunctus fuiſſes, tum demum macte tua
virtute, digniſſimo capiti tuo, vnanimi ſuffragatorum
Cardinalium conſenſu,vniuerſo populo Romano plau
dente & acclamante, triplex tiara imponitur. Quò fit
vt à Paulo Iouio, etſi rerum Romanarum is me fuerit lõ
ge peritior, vehementer diſſentiam,neque enim veritus
eſt ſcribere, celebris alioqui author, pontificatum ma-
ximum fato dari,quem tamen exemplum tuum, multo
rumque aliorum deceſſorum tuorum, etiam proximo
rum, manifeſtiſſime erroris conuincunt ac redarguunt.
Abſit enim vt Pius quartus & quintus,Paulus tertius &
quartus; Marcellus ſecundus, Adrianus ſextus quique
alij noſtra tempeſtate Pontifices claruerunt, fortunæ,

forti,

forti, casui, aleæ, quicquam debeant, alteriue rei (post Deum Opt. Max. qui dat omnibus affatim, & nihil improperat, quinimo, vt scite ait Augustinus, in Sanctis sua dona coronat) sua incrementa accepta referant, quàm propriæ virtuti & Sanctimoniæ, tali ac tantæ, cui prima sedes summo iure debebatur, quò etiam pertinet vetus prouerbiũ: Sedes Apostolica semper claros viros, & magna exẽpla daturos, vel accipit, vel certe facit, & reddit. Quapropter vti indignissimum absurdissimumque est, ac semper fuit, in Romanorum Pontificum creationibus aliquid valere, aliquid sibi iuris vindicare, casum, fortunam, fatum, genus, amicos, cæteraq; omnia, quæ nobis propria non sunt: ita nostræ ætatis calamitas, ac necessitas, illum si vnquam aliàs supremo sedis apostolicæ interregno, renunciari Pontificem postulabat, qui eruditione, virtute, pietate, prudentia, consilio, iudicio cæteris mortalibus præemineret omnibus, quique meritò & quasi proprio quodam iure suo, vniuersi christiani gregis dux, omnibus suo exemplo ad salutem, ad immortalitatem, ad æternam beatitudinem ipse præcedẽs, viam aditumque patefaceret, quem cum singulari Dei prouidentia & bonitate, inaudita ante hac celeritate, consecuti simus, nemo est qui sibi non magnopere gaudeat, ac Reipublicæ Christianæ plurimum gratuletur: Neque enim hoc loci tacendum est, quod patres tutelares, Ecclesię Senatus, primo die quo ad eligendum Pontificem conuenerant, & in conclaue se abdiderant, te statim summum Põtificem, te Ecclesię pastorem, te patriæ

patrem

patrem, læti ac gestientes salutarunt, si quidem compertissimum erat, quantulamcunque moram futuræ pontificiæ creationis, plurimum detrimenti Reipub. Christianæ, id temporis admodū perturbatæ, allaturam. fœderi præsertim, quod ante inter hāc sedem, Regem catholicum Philippū, & Venetorū Rempub. de bello Turcæ hosti immanissimo, inferendo, coierat. quippe nemo ignorabat Pij Quinti verè sanctissimi viri mortem, in id anni tempus incidisse, quo christiana classis in hostē deducēda fuerat: & proinde boni omnes, de se suorumq; salute, vti par est, solliciti; nescio in quam desperationē rerum omnium venerant: primum authore & proxeneta sacri socialis belli (is erat Pius Quintus) è medio sublato: cuius quoque potissimū precibus, magis quàm militum nostrorum armis, & viribus, nunquam alibi lecta auditauè, sed in palatio tuo eleganter, & graphice depicta, & ad viuū expressa, naualis victoria tributa creditur. deinde, tam incommodo importunoque tempore, vt nihil supra. Vnde intellexere oēs, quod subitaria, extēporanea, expedita, sola omni exēplo carens, singularis electio illa tua, Spiritusancto proculdubio, eligētiū omnium corda linguasque regente & gubernante, vniuerso orbi salutem attulerit. Itaque sicut tibi verissime licet dicere: veni, vidi, vici; ita cæteris omnibus, vnus homo nobis, non quidem cunctando, & procrastinando, idoneumque tempus rei bene gerendæ expectando, quod Fabio cunctatori cognomine maximo, attribuitur: sed festinando, & properādo Gregorius XIII. Pont. Max.

restituit rem. sed de his nimium fortasse multa. Vt ergo in viam redeam, votorum omnium primum, supremūque, mihi semper fuit, te Pastor optime videre, suspicere, colere, venerari: tuum præsidium auxiliumque inuocare, implorare, petere, postulare: tibi, inquam, dulcissimæ patriæ meæ, hodie eheu, miserrimè afflictæ, & viris viribusque exhaustæ ac destitutæ, lamentabilem statum conditionemque exponere, quam tu Beatissime pater, florentem, beatam, omniumque rerum copia affluentem & abundantem, olim conspexisti. Hæc nunc in malorum Iliaden lernamq; conuersa, lugens, lacera, tristis, deturpata, supplex in genua tibi accidit. Hęc omnem salutis recuperandæ spem in te collocauit. Hæc in tantis malis, quę nemo facile sermone aut stylo assequat̃ suo, id duntaxat solatij, fiduciæ, speique melioris habet reliquum, quod confidat, sibique certo promittat, tua humanitate ac bonitate freta, te, quem cęlestis ille pater, pater misericordiarum, & totius consolationis Deus, suam inter mortales personam, locumq; exhibere ac sustinere voluit, te, inquam, suum vindicem, assertorem, protectorem, patronum, liberatorem fore. Tu sane ille es, qui eius res lapsas & inclinatas erigere, nutantes ac dubias confirmare & stabilire, tu ruituras fulcire ac munire, optime poteris, & si bene te noui, si mens non leua mihi est, dubio procul facies. Tu Belgium nostrū minime obscurum aut ignobile & contemnendum, totius Christi Ecclesiæ membrum & portionem, suo nitori restitues, tu illi opimam pacem, suauemq; amœnitatem,

veluti

veluti postliminio, post omnes procellas, ærumnas ac calamitates, partim efficacissimis tuis ad Deum Opt. Max. præcationibus, partim ad regem nostrum Philippum, (quo terra religiosorem, melioremque Principem non edidit) pijs consilijs, monitis, & exhortationibus, conciliabis. Postremo omnium, quod in beatissimam augustissimamque familiam tuam, nostram exiguitaté cooptare, allegere, adscribere quoduè opera nostra vti, dignatus es, quantas par est, tuæ me Beatitudini gratias agere? Diuus Hieronymus se Damaso Papæ, decessori tuo, ab epistolis fuisse, alibi disertis verbis gloriatur. at quantus vir? & Molinæus, qui tanti viri nullam imaginem, ne vmbram quidem, refert aut repræsentat, se Gratiani rapsodię, siue Decreti emendationi, vna cum delectis, ad eandem curam, præcipuis aliquot à doctrina auctoritate & fide, Vercellensi, Sirleto, Alciato, Senonensi, Carafa, & Boncompagno, fratris tui filio, sex omnino purpuratis Cardinalibus, alijsque permultis rerum diuinarum humanarumq; consultissimis viris, à Gregorio, qui nunc ecclesiæ fœliciter præsidet, admotum, ac adhibitũ, parui æstimabit? Pœnituerat me sæpe Iuonis Carnutensis diuulgati, non quidem operæ & laboris. quì enim posset? cum nullus extet alius liber ecclesię vtilior? nullus ad Gratianum restituẽdum perinde necessarius? sed impensæ & sumptus. nimiũ enim patrimonij nostri non omnino amplissimi, facultates, editio attriuerat; illis fallentibus, seseq; eximẽtibus, qui operarũ typographicarũ, officinę magistri, correctoris, amanuensiũ, chartę

 & atra-

& atramenti mercedes pretiaque,exhibere promiserãt. Cęterũ quia idẽ me nunc beauit,fortẽ cum amplissimo redhibens fœnore,huc, qđ de Achillis hasta,in Telephi vulnere traditum est à poetis, videor mihi posse,non in iuria,conuertere.vna sane eademq. res,vulnus opemq. tulit: siue vt propius dicam : fundi nostri calamitas, in suauissimas delicias meas,tua mutatæ sunt benignitate. Vt autẽ omnes intelligãt,quantopere sanctissimũ opus, sanctissimo tibi sit curæ; ac quàm vt Gratiani codex instauretur, nullis parcas sumptibus. præterea vt Spartam quam nactus sum, pro virili exornem, Pauli gentiũ apostoli, quem lubenter imitor,exemplo,lubet nomina eorum quibus hæc prouincia Decreti recognoscendi præterea cessit, recensere:scilicet R. P.Sacrista,Episcopus Signinus,Magister sacri palatij,Doc.Michael Thomasius, Torresius, Petrus Chaconus, Parisetus, Muschius, Rupertus, & Ioannes Rodericus librarius. Cum enim oẽs dignissimi viri sint, oẽs Aristarchici, omnes Critici, oẽs censuræ & diuinationis peritissimi, in rebus obscurioribus nẽpe, in quibus coniecturis debet esse locus, quos Beatitudo tua nedũ ex Italia, verumetiam ex Hispania, Galliaq; hac de re accersiuit, quanquam merito ad finẽ properamus, nefas erat, si nomina ipsorum silerentur. Sed ad institutum. Admirati sunt omnes, obstupuere plerique, quod cum Louanij essem Regius sacrorum canonum interpres, & professor: item sacræ ædis Sancti Petri, quę totius ciuitatis prima honestissimaque est, ἀρχηγὸν, Decanum vocitant: præterea Academiæ illius

lius Cancellarius, qui honor ibi summus habetur, perpetuoque habitus fuit, adeoque ad amplissima quæque viam propè sternere, aditumque præbere ac patefacere consueuit. cui rei Hadrianus Traiectensis, & Martinus Rithouius, inde veluti ex seminario, ad maiora translati, fidem faciũt locupletissimam. Nam vt ille è Decano Louaniensi, ad regendam formandamque primam Caroli Quinti Cæsaris pueritiam accitus, deinde omnium Hispaniæ regnorum Præses factus, hisce duobus veluti gradibus, ad huius summi apostolatus apicem tandem processit: ita hic, ex eodem sacerdotio, ad Hyprensem episcopatum recens institutum & conditum, assumptus; eundem ita gnauiter administrat, vt dextera sua potius inter nostrates sacrorum antistites palmam, egregiæ laudis ac victoriæ signum: quàm arundinem, fragile & inglorium lignum, præsidiumque ficulneo non absimile (etsi inde nomen traxerit) prętendat. Et hęc quidẽ illis, alijsque non paucis, rudimenta bases ac fundamenta altiorum fuere. Sed nũquid nobis hæc vnica honeste splẽdidèq; viuendi, aut etiam emergendi crescendiuè, erat ratio, & facultas? Esaù primogenitus, cuius benedictionem & pręrogatiuam, sibi, vt putabat, debitam, frater eius iunior Iacob, fraude & machinatione matris, intercęperat, se frustratum intelligens, patrem Isaac interrogat, his verbis: num vnam tãtum benedictionem habes pater? Cæterum sicut notum est, quid ille responderit; ita si me forte roget quis: dicam mihi Gandaui honoratum quoque locũ obtigisse. Quod quanti sit, & nostri

omnes

omnes norunt, & tu Beatissime Pater, ad quem nobis potissimum est sermo, qui Gandauum vidisti, optime cognoscis. est patria mea, gaudeo, erat & Caroli Quinti Imperatoris, nihil de ea nunc dicã, nisi quod idem Carolus conciuis, & vt militare vsurpem verbum, conterraneus meus, in ꝑpetuo vsu habebat. Quoties enim apud hũc, qui magnam partem totius orbis terrarum, siue cogniti, siue incogniti, ditione tenebat, quis alicuius laudes & encomia ciuitatis commemoraret, & ad cœlos vsque tolleret, admittebat omnia, vt facilis erat, sed sub hoc modo, temperamento, & conditione: Gandauũ, inquit, meum, semper excipio. Atq; hinc quidem palã euadit, quàm mihi bene vtrobique (siue Gandaui, quæ Flandriæ, siue Louanij, quæ Brabantiæ metropolis prædicatur) esse licuerit, quæ sane ciuitates, nihil est quod formosissimis ac tantopere ab omnibus scriptoribus decantatis Italiæ vrbibus, admodum inuideant. Vt igitur hunc locum cõcludam, & paucis perstringam; cum inquam omnia hęc, etiam patriam, cuius fumus alieno igne gratior esse creditur, desererem; at qualem patriã? certe talẽ, cui nullus ĩ orbe vniuerso locus amplitudine amenitate vitæq; reliqua cõmoditate prælucet, ne quis Itacã, aliamuè obscuriorẽ insulã mihi patriã esse suspicetur. cumque in hac ætate, quæ senectutem attingit, quę canos assecuta est (puta iam lustris annorum ferme decem peractis) iter non minus longum, quàm periculosum, ad hæc alienissimo difficillimoque tempore susciperem, improbare, dissuadere, cumque ad extremum

monitis

monitis precibusuè non acquiescerem, succensere ami-
ci. Verumenimuero, esto vt illi consuluerint recte:
ego vero profectionem aggressus sim temere, id tamen
dabunt mihi omnes, rem optime cessisse. Nunquā sane
me instituti mei pænituerit, qui pontificium ministeriū
quacunque tandem in functione, omnibus alijs hono-
ribus vitæq; commodis & prærogatiuis, longè antepo-
no, & merito quidem: nam si Deo seruire regnare est,
ipsius vices obeunti seruire, nunquid nō primas tulisse,
regnoque proximum esse, adeoq, omnes omnium for
tunas superasse, non iniuria censeatur? Si item, princi-
pibus placuisse viris non infima laus est; pontifici place-
re, acceptum esse, familiarem esse, quæ tandem laus erit,
quæ gloria, quod ornamentum, quantum decus? Qua
re, sentiant alij quod volunt, ego interim mihi gaudeo,
mihi plaudo, mihi placeo, quod gratiā apud tuam San
ctitatem aliquam inuenerim, magis omnino quàm si cę
tera omnia, quæ hominibus maxime videntur exoptan
da, mihi contigissent, quin alia omnia flocci naucique
faciens, & pro vmbris, nugis, ac gerris ducens, tum ad
extremum, vt Paulinum huc verbum, quo lubēter vtor,
transferā, veluti περιψήματα καὶ σκύβαλα arbitratus, reijculamē
ta reiectaneauè vocētur, p̄ me licebit. tibi obsequi, sub
oculis tuæ Sanctitatis versari, in tuam denique clientelā
potestatemq; conuenire, constituo omnium rerum esse
primum. proinde, sicut ad tuam Sanctitatem, veluti ad
tutissimum portum, firmissimum asijlum, fidissimā sta-
tionem, post tēpestates, post naufragia, post procellas,
post

post varios casus, post multa pericula rerum, lætus animoque gestiens confugio: ita supplex etiam atque etiã quanto possum opere rogo & obtestor, vt patriæ meæ, cuius causa, libera legatione fungor, aut vt rudius eloquar, voluntarium hoc exilium elegi, misereri, eiusque calamitates respicere velis. Atq; ita finem dicendi supplicandique faciam, ne nimium tua humanitate & patientia abutar, neuè in publica commoda peccem, si lõgo sermone morer tua tempora, optime Mœcenas, cui me totum iamdudum deuoui ac dedicaui. illud à principio identidem repetens: hic est dies, quem fecit Dominus, exultabo, & lætabor in eo. Equidem fœlicem heu nimiũ fœlicem, hoc otio literario, summopere mihi semper adamato, me iudico, cuius maximi mihi boni vsura si paulò diutius frui contigerit, nisi te Beatissime Pater, cæterosque quorum opera, & cõmendatione id sumus adepti, meritis mea Musa celebrauerit laudibus, me omnium mortalium, & victurum, & moriturum ingratissimum ingenue lubẽsq; profiteor, quod prohibeat Deus Opt. Max. qui te mihi diu, ac Reipub. Christianæ ad annos Matusalemios, seruet incolumem, firmum, ac valentem.

Dixi.